

**De pneumonia infantum : dissertatio inauguralis medica ... / auctor
Ferdinandus Liman.**

Contributors

Liman, Ferdinand.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Th. Brüsckcke, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fyg5zf8t>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
PNEUMONIA INFANTUM
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI IN
MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. MARTII A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

FERDINANDUS LIMAN

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS

CAROLO ANTONIO WALL,
JOANNE CASPER,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORIBUS.

BEROLINI TYPIS TH. BRÜSCHKE.

DE
PNEUMONIA INFANTUM

DISSERTATIO

IN AUSECUTIA MEDICI

GUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LUTETIENSIS PARISIENSIS

UT SUPRA

MEDICIS ET CHIRURGIA HONORES

HAEC SIBI CONCEDANTUR

Digitized by the Internet Archive
in 2016

FRANCIS DEBET

AUCTOR

FRIDERICUS LIMAN

PARISIENSIS

ORDINIS

CAROLO ANTONIO WALL

JOHANNES CASPER

FRANCISUS MEDICUS PARISIENSIS

REGIUM TYPIS IN BRUSSELI

V I R O

ILLUSTRI CELEBERRIMO EXPERIENTISSIMO

CAR. FERD. GRAEFE

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESS. MEDICINAE IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROL. P. O. REGI BOEUS. A CONSIL. INTIMIS, NEC NON A CONSIL. RER. MEDICINAL. ET SANITAT. PURLICAE TUENDAE. SUPREMIS ORDINIS CRUCIS FERBEAE EQUITI, LEGIONIS HONOR. REGIS FRANCO-GALLIAE DECURIONI, ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA, SUECICI WASANI, RUSSICI ST. WLADIMIRI IN CLASSE QUARTA EQUITI, INSITUTI REG. CHIRURG - OPHTHALM. CLINICI DIRECTORI, PROFESS. O. IN REG. INSITUT. MILIT. MEDICO-CHIRURG. FRIDERICI GUILIELMI, REG. SOCIETATIS FACULTATIS MEDICAE PARISINAE SODALI PER EPISTOLAS ORDINARIO, SOCIET. MED. AEMULOR. PARISINAE SOCIO PER EPISTOLAS EXTRANEO, SOCIET. CAESAREAE NATURAE CURIOSORUM MOSCOV. SOCIETATIS REG. SCIENTIARUM GOETTINGENSIS, SOCIET. PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, SOCIET. NATUR. SCRUTATORUM HALENSIS, ALIARUMQUE SODALI,

PRAECEPTORI SUO

SUMMA PIETATE COLENDO

HUNCCE LIBELLUM ACADEMICUM

GRATO ANIMO

OFFERT ET INSCRIBIT

AUCTOR.

Pneumonia infantum, aliis febris acuta pleuritica, morbus pectoris acutus infantum vocatur.

Hic morbus infantes saepissime invadere solet cumque aliis morbis summo aegrotulorum detrimento confundi solet, verbi causa cum catarrho suffocativo, cum dentitione difficili, maxime autem cum affectibus catarrhalibus, quoniam ab his incipere consuevit, quod maxime periculosum, quum parentes infantibus remedia domestica dare soleant, quibus auxilium iis ferri credunt, sed morbum ad fastigium evehunt. Tam frequenter autem infantes pneumonia corripit, ut Heimius vir Illustris atque medicus celeberrimus, 1)

1) Horn's Archiv 1810. Bd. III. S. 332. u. s. w.

ex quatuor infantibus, qui ex vulgari medicorum opinione dentitione difficili, aut vermibus, aut febribus nervosis quae dicuntur laborant, tres inflammationibus occultis conflictari contendat, quarum maximam partem pneumonias esse sibi persuasum habet, beatus vero Heckerus 1) plurimos infantum morbos acutos primo stadio cum pneumonia aut cum affectibus pulmonum localibus acutis conjunctos esse, affirmet.

Diagnosis.

Pneumonia infantum difficulter dignoscitur, quod hi dolores, affectus suos sensationesque medico significare non possunt, ideoque symptomata multo obscuriora referunt. Symptomata eminentissima e functione pulmonum vel impedita vel suppressa existunt. Signa pathognomonica haec habentur: febris acuta, tussis vehemens cum respiratione anxia et frequentissima, quae praesertim signum maximum in infantibus est, qui nondum sermonem explicare possunt. —

Febris vehemens est, quae typo continuae remittentis adstricta, vespere et ante mediam

1) Hecker's Kinderkrankheiten S. 629.

noctem exacerbatur, quo tempore, ut in ceterorum morborum exacerbationibus fieri solet, omnia symptomata augescunt. Pulsus est frequentissimus, celerrimus, durus, atque parvus, quod sanguinis circuitus in pulmonibus impeditus est, ideoque infans magis diaphragmatis et musculorum abdominis ope respirat quam pectoris musculorum, indeque pulmones non expandi possunt. In infantibus bimestribus trimestribusve pulsus frequentia per sexagesimam horae partem ad 130 — 140 usque ictus augetur. Tum contractus est pulsus ac prementi digito vehementer resistens, quare a pulsu irritato et spasmodico facile discerni potest. —

Tussis praesertim initio morbi, sicca, vehemens, in exacerbationibus aegrotulos maxime excruciat. Profecto morbo per tussim sputa serosa, mucosa, 1) lymphatica, saepe sanguinea, puriformia rejiciuntur. Schäferus 2) autem sputa sanguinea rarissima esse profert. — Omnino quo juniores et teneriores infantes sunt, eo minus sputa

1) Hecker's Kinderkrankheiten. S. 632.

2) Horns Archiv 1811. Jul. u. Aug. S. 129.

rejicientur, nam, si etiam existunt, ab his lactentibus devorantur.

Inspiratio profunda, quum dolores aliqui affectus inde nascuntur, impedita est, infantes itaque non pectoris sed abdominis ope spirant. Exspiratio brevissima et accelerata et calida esse solet. Si aegrotulus inspirat, sensationem anxiam quam in facie videmus, vultum distortum refert, perinde tussis vehemens nascitur, et infantes vagire incipiunt. In summo morbi gradu alae narium per inspirationes dilatantur. 1) Porro sensus dolorifici pungentes, prementes et tensivi aut in pectore toto aut in locis singularibus oriuntur qui inspiratione et tussi et jactatione infantum augentur. Qui dolores in lactentibus jactatione corporis, inquietudine, interdum calore externo in pectoris regione, inspiratione anxia, expiratione calida, singultuosa et sibila dignoscuntur. Non omnes autem infantes, qui pneumonia laborant, dolores ac sensus ejusmodi in pectore referunt, nec ipsi pueri adultiores, qui de dedolatione tantum per totum corpus queruntur.

1) Adolph Henke Kinderkrankheiten S. 40.

Lingua plerumque albida est, cujus apice labia, 1) quae calida et sicca sunt continenter delambere solent; ideoque lactentes sensationem molestam in mammae papillis nanciscuntur.

Rubor faciei et cutis in infantibus non semper inveniuntur. Interdum infantes quamvis calidissimi, tamen pallent, et colorem saepissime mutant, sic ut modo pallescant modo erubescant.

Urina principio morbi pallida et frequens, sensim sensimque parcior, pauca, rubra, flammea interdum calida fit, odoremque spargit ingratum. Remittente morbo urina crassa et turbida fit.

Alvus incongrua. Provectiori 2) aetate adstricta, in lactentibus liquidae mucosae dejectiones sunt, quae cum tormentis et borborygmis ex abdomine excernuntur, aut materiae indigestae male coctae et virides. Sudores capitis et pectoris plerumque inaequales, sin autem per totum corpus fundantur bonum signum est salutis. —

Ciborum appetentia perit, sitis maxima est, pueri potum frigidum petunt, lactentesque ex

1) Schäfer von d. innern Entzündung. b. Kind.

2) Henke's Kinderkhn. p. 41.

mammis avidissime sugunt. Alii facile obdormiscunt sed somnus est inquietus, unde frequentissime expavescent, alii contra et quidem maxima infantum pars usque vigilant, vehementer sese jactant, maximeque supini cubant. Qui loquendi facultatem habent, iis loquela, maximeque quaestionum responsio molestissima est, parentes ac sodales suos negligunt. Lactentes non cubare, sed circumferri volunt. Signum maxime dignum in infantum pneumonia in pectore laborantis est. 1) Namque latus, ubi pulmo inflammatus est, inspirando tam alte non elevatur, quam alterum, ubi pulmo sanus est. Sin autem ambo pulmones inflammati sunt, pectus totum non elevatur, sed potius thorax contrahitur, quia tum aegrotus musculorum abdominis ope spirat. Quae pectoris consideratio maxime in infantibus, qui ob dolores aliosque affectus tantum vagire possunt, maxima dignitate ad diagnosin confirmandam est. Ita inflammationis locus multo tutius indicatur, quam doloris loco aut situ laborantis commodiori.

1) S. G. Vogel. Handbuch d. prkt. Arzneiwissenschaft. Theil 4. S. 197.

Nam cadaverum sectiones inflammationem in ea pulmonis regione, in qua vehementissimae punctiones erant non semper iuventam esse, sed inflammationem in contrario latere ostenderunt. Nihilominus autem decubitus commodus ad unum latus de loco inflammato certiores nos facit, quamquam aegrotulus saepe ad inflammatum latus cubat, sed id fidem habet exiguam, quum interdum ad sanum latus commodissime decumbat. Si pulmones ambo inflammati sunt, aegrotus supinus commodissime cubabit. Confirmata magis aetate, infantes tussis irritamentum in regione pectoris inflammata praecipue sentiunt.

Decursus morbi.

Interdum infantum pneumonia repente, interdum praegressis prodromis, interdum, quod saepissime animadvertitur, post alios morbos supervenit. Si prodromi adsunt, languor, artuum gravitas, affectus catarrhales, somnus nullus aut inquietus observatur; infantes pavescunt, morosi sunt, et crepundia, quibus, quum sani essent adeo delectabantur, rejiciunt, infantes teneriores semper circumferri debent, et si in cunis ponun-

tur clamare incipiunt. Appetitus prostratus, capitis dolor, frontis calor, faciei rubor fugax, sitis magna, alvus adstricta, sternutatio frequens, respiratio brevis est, infantes pectus semper arripiunt. Quodsi tales prodromi in pneumoniam veram transeunt, omnia illa symptomata, quae supra in diagnosi memoravi, oriuntur. Sin autem morbus nullos prodromos habet, symptomata sequentia animadvertenda sunt: febris continua remittens instat, aestus gravior, pulsus acceleratus, plenus, frequens sed aequalis, respiratio anxiosa, frequentissima, tussis vehemens, sicca, dolores vehementes in pectore, vespere et nocte symptomata omnia exacerbantur quo tempore summum fastigium assequuntur. Quae affectiones sensim sensimque augentur, et morbus talibus signis diebus septem ad novem decursum absolvit, ubi in sanitatem aut mortem aut alios morbos transit. Sed interdum maturius, interdum serius, sed nunquam ultra decimum quartum diem aut vicesimum primum protrahitur. Urina, ut solet, perexigua rubra, flammea cum dolore mittitur.

Sed post alios morbos pneumonia infantum non raro oriri solet, praesertim post morbillos, ac tussim convulsivam. Saepissime autem post

morbillos. Burserius 1), „morborum,“ inquit, „qui morbillis praesertim malignis succedunt, omnium frequentissimus est, peripneumonia, eorum exsiccationi repente superveniens, quae aegros in summum vitae periculum adducit.“ In stadio desquamationis hujus morbi pneumonia praesertim oritur. Tum febris si morbilli evanescent, cum respiratione difficili et graviore, quae a morbillorum acrimonia, in corpore restante, et pulmonibus ab ea affectis, orto est, repente intenditur, et praesertim 2) ubi in primo morbi stadio medicamenta irritantia et diaphoretica adhibita sunt neglecta diaeta antiphlogistica Burserius 3), „inflammationem ait,“ pulmonum, inprimis ubi calido regimine eruptio accelerata est, inducere posse, et demum in phthisin desinere. Sydenhamius 4) haec habet: „Observare est, febrem atque

1) J. Bapt. Burserius de Kanilfeldt. Institut. medic. pract. Lib. II. p. 139.

2) S. G. Vogel. Handbuch. d. prkt. Arzneiwissenschaft.

3) Io. Bapt. Burserius Institut. medic. prakt. Lib. II. p. III.

4) Sydenham. Opp. Sect. IV. Cap. 5.

spirandi difficultatem die fere octavo augeri, importunius urgere tussiculam, ita ut nec interdiu, nec etiam noctu fere somnus possit obrepere. Infante praesertim sub regimine calidiori, aut, qui calidioribus usi sunt medicamentis ad promovendam morbillorum eruptionem, huic malo sunt obnoxii, quod morbillis jam facessentibus se ostendit, unde in peripneumoniam conjiciuntur; quae plures jugulat.

Pneumonia infantilis post tussim convulsivam oriri potest, aut cum tussi convulsiva conjuncta est. R. A. Vogel 1) jam proposuit, nonnullis aegris pleuritidem in decursu accedere, nec minus Heimius 2) noster pneumoniam cum tussi convulsiva saepe conjunctam esse, affirmat.

Pneumonia est morbus acutissimus, qui decursum suum rapidissime absolvit, sic ut quinque, septem, quatuordecim diebus terminetur. — Ceterum pneumoniam infantum si systema bronchiale eminentius affectum est, longiorem

1) R. A. Vogel de cognoscund. et curand. corp. human. affect. S. 510.

2) Horns Archiv, 1810 Nd. III. S. 332.

contra si vasculare, breviorē esse Ill. Hornii 1) observationibus constat.

Pulmonum inflammatio in sanitatem et quidem per resolutionem vel in suppurationem vel in gangraenam vel in alium morbum vel in mortem abit.

Sanitas sequitur, si symptomata, quae paulo antea vehementia et gravia fuerant, sensim sensimque remittunt, signa accedunt critica, exempli gratia sudores, per totum corpus aequaliter erumpentes, urina cum sedimento, sputa liberiora et copiosiora, quibus morbus solvitur. In pulmonibus 2) morbi resolutio die septimo, ut solet, incipit. Infantes respirationem stertorosam, tussim levem multis cum sputis habent, haec vero rasissime extussiuntur, quum ab infantibus degluti soleant. Interdum haemorrhagia narium critica accedit 3). — Quem bonum exitum expectare possumus, si morbum ab initio dignovimus, 4)

1) Horn. Vorlesungen über specielle Pathologie.

2) Henk'es Kinderkrktn .p. 41.

3) Hecker's Kinderkrkhtn. S. 634.

4) Henke's Kinderkrkhtn. p. 40.

si methodum antiphlogisticam recte abhibuimus et cuncta symptomata omni ratione remittunt. Si morbus ex retropulso exanthemate ortus est, resolutio, si exanthema revertitur aliisque melioribus sub signis speranda est. Exitus 1) in sanitatem successivus neque rapidus est, convalescentia lenta maximeque pulmones longa debilitate laborant.

Exitus in suppurationem timendus est, si morbus longius protrahitur, si horripitatio saepius oritur, si infans magis sensationem prementem in pectore quam dolores punctorios conqueritur, si aegrotus emaciatur omninoque ubi symptomata phthisis pulmonum supervenerunt.

Vitia organica in pectore, qualia sunt concre-
tiones pulmonum cum pleura, indurationes, vo-
mices, collectiones serosae, aliaeque desorganisa-
tiones frequentissime post morbum relinquuntur.
Macies nunc cum febre hectica expectanda est, et
mors vitae miserrimae finem imponit. —

Gangraenae exitum, si dolores vehementis-
simi et repente remittunt, respiratio mitates

1) Harles Einige praktische Anmerkungen bei innern
Entzündungen d. Kinder p. 17.

tates algidae, pulsus celerrimus et debilissimus facies Hippocratica est, quae signa mortem ante portas esse manifestant.

In inflammationibus pulmonum in infantibus mors per suffocationem, appoplexiam pulmonum, quae vehementem nixum quo sanguis in pulmonibus accumulatur, sequitur, facile supervenire potest. Hoc mortis stadium citissime appropinquat et celerius quam in similibus adultorum affectionibus. 1) Saepe temporis momento infans, qui ante horas aliquot pulsum fortissimum maximeque regularem, calorem non ingentem cutemque humidam, sensorium liberum habebat, et forsitan hoc tempore per hoc levamentum doloribus remittentibus maximas spes ad sanitatem dabat, incredibile dictu, sub convulsionibus, cum stupore et lethargo, per gangraenam aut apoplexiam contra expectationem morte absumitur.

Cadaverum sectio in infantum inflammationibus maxima dignitate est, quum omnia quae dum vita persisteret, obscura illarum signa demum in lu-

1) Harles prkt. Bemerkungen über Entzd. der Kinder. pag. 17.

ce ponantur, dissectis atque inspectis visceribus.¹⁾ Inflammationem adfuisse, qui negant, nisi maculas gangraenosas, vel vasa sanguine subrubro et nigricante repleta reppererint, has notas non raro prorsus abesse perpendant, si inflammatio in membranis mucosis, serosis vel in glandulis haeserit. Accedit, quod in morbo diutius protracto, quae sub initium urgebat vasorum irritatio et inflammatio penitus extingui potuit, quum in secretionem adauctam suppurationem, vel alium in exitum abierit. Ex quo incidit, ut post mortem saepe ne minima quidem ruboris vel extensionis vasorum vestigia inveniantur. Verum, ubi effectus reperitur, sive sit serosae, mucosae vel purulentae materiae in cavis viscerum effusio, sive coacta caseosa sive membranosa in eorum superficie involucria, sive partium, quae naturaliter separatae esse debent, coalitus vel denique organorum affectorum textura tumefacta compacta; inflammationem adfuisse, minime dubitandum. — Ergo in defunctorum sectionibus aut signa inflammationis in pulmonibus, aut vestigia exitus, ut mate-

¹⁾ Henke de Inflammationibus internis infantum. p. 19.

ries exhalatae, serosae, lymphaticae, quae in pulmonis substantiam ipsam, in arteriam asperam, in cavum pectoris, in bronchia effusae sunt, inveniuntur. Vestigia suppurationis incipientis, vomicae, desorganisationes pulmonis ac pleurae etiamque maculae decoloratae fuscae interdum atrae inveniuntur. Ex sectionibus cadaverum diagnosis est, si in vivo corpore abigua fuerit etiamsi nullam inflammationem adesse credidimus. —

Aetiologia.

Causae quibus inflammationes internae maxime pneumoniae infantum tam saepe oriuntur, his fere continentur. Actuositas vasorum sanguiferorum hac aetate maxima est, quae ex vehementiore arteriarum pulsu ex congestionibus sanguinis, ex calore aucto, atque ex copiosiore secretione materiei plasticae non dubia est. Heimius 1) contendit: „die Entzündung bei zarten Kindern, bis über die Periode der Dentition, ja bei manchen bis über den Zahnwechsel hinaus, sey nichts anders, als eine durch Reitzung erregte Congestion

1) Horns Archiv 1810. Bd. III. S. 332.

von Blut und blutigem Serum, zum Theil selbst von einer Lymphe sowohl in den kleinsten Arterienendigungen, als in den Blutvenen und in den Lymph- und Schleimgefäßen mit dem wesentlichen Gepräge der irritablen und spasmodischen Atonie, ohne Tonus und Robur, überhaupt also, ohne wirkliches erhöhtes irritables Wirkungsvermögen.“ Henkius 1) opinionem opponit, qua sententiam Heimii tantum ad congestiones passivas pertinere contendit, nihilominus autem vasorum actuositatem adesse, quae in infantibus tam saepe irritabilitate auctiori et vehementiori arteriarum pulsatione calore aucto ect. luculentissime manifestetur. Ipse celeberrimus vir irritationem vasorum ab inflammatione distinguit. Veram differentiam inter utramque in libro suo 2) de infantum morbis fusius descripsit. Doctissimus Schäfferus 3) in Dissertatione sua de infantum inflammationibus, in illis veram plethoram rarissime adesse, sed humorum abundantiam, sensibilitatem et reproductionis vim in iis praevalere, ideoque decursum inflammatio-

1) Henke's Kinderkrankh. p. 9.

2) l. c. p. 4.

3) Horn's Archiv 1811. Jul. und Aug. S. 129.

num longiorem et lentiolem esse, et magnam sanguinis detractionem debilitare, eaque de causa organa affecta in gangraenam praecipitari contendit, sed methodus antiphlogistica contraria docet.

Dispositio ad inflammationem in corpore et in periodo vitae posita est. Infantes fortes, bene nutriti cum celeri vegetatione in evolutionis periodo irritationem et inflammationem facillime patiuntur. Aetas tenerrima usque ad decimum annum ad inflammationes pulmonum proclivis est, maxime autem ad has propendent infantes ab anno secundo usque ad sextum. 1) Porro infantes cum cute albida, tenera, maximaque actuositate vasorum, alacritate eximia, vegeto faciei colore, constitutione irritabili vel internis vel externis e causis nata, inflammationibus internis subjiciuntur. Praeterea in infantibus, qui consitutionem corporis malam, debilem, spongiosam habent, et male nutriti sunt, inflammatio nasci potest, 2) quamvis lentior, neque genuinae vasorum actuositatis signis conspicua. Causae occasionales sunt: constitutio annua,

1) Horn's Archiv 1811. Jul. Aug.

2) Henke de Inflammationibus intern. infant. p. 17.

quae peripneumoniam praesertim epidemicam gignit, et tunc infantibus non parcat. Hieme et vere haec pneumonia saepissime obvenit, ubi venti subsolani et aquilones perflant, aut si tempestas frigida et aspera diebus siccis et serenis saepe mutatur. Praeterea sunt aliae materiae morbificae, quae pro ipsarum natura pulmones et reliqua respirationis organa prae aliis infestant, v. c. contagium tussis convulsivae nec minus morbillorum, praesertim si initio morbi regimini calido eruptio exanthematis accelerata est; etiamque in stadio desquamationis. — Pneumonia quoque sporadica per refrigerium, per temperiem coeli aërisque, per caloris et frigoris subitas vicissitudines per transpirationem cutis suppressam aliasque similes causas gignitur. —

Prognosis.

Prognosis a generalibus morbi symptomatis deducitur et caractere, quem febris prae se fert. Omnis pneumonia in infantibus periculosa est, quia difficillime dignoscitur, unde saepissime methodus contraria adhibetur et periculum maximum affertur; tum quia in infantibus teneris facile respiratio supprimitur, ideoque mors per suf-

focationem inducitur ac pulmones in statum apoplecticum conjiciuntur; denique quia pneumonia morbos secundarios gravissimos relinquere potest. — Periculum porro a gradu et sede morbi, a febre comitante a constitutione et a causa occasionali dependet. Febris, quae pneumoniam comitatur in prognosi maxime digna est.

Bona signa in pneumonia infantum sunt: pulsus fortis, respiratio non anxiosa, nec admodum frequens, libera, omninoque crises bonae, quas supra memoravi. Si exacerbationes regulares et breviores fiunt, si longe remittunt, tum prognosis bona affulget et sanitas brevi recuperabitur. Porro si medicus initio morbi ad aegrotum vocatus est ad sanitatem integre recuperandam, ut in ceteris inflammationibus, multum auxilii ferre potest. Quo major difficultas inspirandi, quo brevior et celerior respiratio, quo magis in expiratione infans ingemescit, quo magis guttur inflammatum est aut pallidum, quo pallidior facies, quo siccior tussis, quo viridiora sputa, quo eminentior adest stupor, quo magis delirat aegrotulus, quo crebrius sudores inaequales erumpunt, praesertim in pectore, quo inquietior infans est, et in lectulo se jactat, cor palpitat, corpus macrescit

et facies alienatur, eo evidentius periculum mortis minatur. Si exacerbationes irregulares atque longae sint et remissio vix animadvertatur, tum periculum maximum adest. Porro mala signa sunt: si pulsus mollis et parvus, respiratio anxiosa et frequentissima est, sique infantes dyspnoeae vel orthopnoea laborant. Malam prognosin pneumoniae infantum habet, si post exanthemata retro-pulsa orta est. Burserius: 1) „in summum vitae periculum adduci aegrotantes,“ asserit, „imo repentino quasi fato suffocari nono fere die, evanescentibus nempe morbillis, et febre recrudescente cum peripneumoniae aut pleuritidis signis.“ Alio loco: „Qui ex morbillis occumbunt, praesertim infantes, nono plerumque die, evanescentibus nempe exanthematibus infarctu bronchiorum, et pulmonum oppressi, aut peripneumonia, praecipue ii, qui calidiore regimine usi sunt, suffocantur fere inopinato. Idem Frankius 3) sua auc-

1) Institut. med. pract. Vol. II. 126.

2) l. c. p. III.

3) Frank. de curand. homin. morb. Epit. lib. III. p. 239.

toritate confirmat, cuius verba afferre non dubito:
„Stadia exsiccationis in ipsis adeo benignis interdum, potissimum tamen in gravioribus morbillis, saepius non moderantur adeo quam augentur febris et tussis, dyspnoea increscit, et periculosae frequenter pluribusque lethalis peripneumoniae occurrunt symptomata. “Reilius ¹⁾ haec habet: „Häufiger sind Lungenentzündungen, die früher oder später nach der Desquamation, oft schon vor derselben sich einstellen. Entsteht bei der Desquamation kein Schweiss, dauert das Gefässfieber fort, erhebt sich der Husten von neuem, und verbindet er sich mit Dypnoe und Seitenstechen, so ist Verdacht von Lungenentzündung da. Zuweilen entscheidet sie sich durch Nasenbluten, Schweiss oder Durchfall, doch gern zieht sie sich in die Länge, besonders bei scrophulösen Subjecten, erregt Knoten in den Lungen, Abscesse, oder oberflächliche Eiter-Ausschwitzungen und geht zuletzt, besonders bei denen, die eine erbliche Anlage haben, in offenbare Lungensucht über.“ Iam vero ex his abunde patet, pneumoniae infantum prognosin valde esse dubiam, ac parum securitatis polliceri.

¹⁾ Reil's Fieberlehre B. 5. S. 223.

C u r a t i o.

Cura prophylactica, si qua est in eo constat, ut infantes¹⁾ ad tertium usque aut quartum aetatis annum exactissime a refrigerio defendantur, magna circumspectione habita, ne repentinae caloris ac frigoris vicissitudini vel perflatui ventisque frigidioribus committantur. Ubicunque autem inflammatio pulmonum jam adest, primum et summum remedium in sanguinis detractioe quaerendum est.

Venae sectiones quo juniores et teneriores infantes sint, eo minus adhibendae sunt. Sed ubi periculum in mora est, symptomata omnia in fastigio constant, febris vehementissima, corpus succiplenum est, et status²⁾ hypersthenicus summum gradum tenet, ubi pneumonia ex suppresso exanthemate orta est, venae sectio caute instituta Burserio³⁾ et Sydenhamio⁴⁾ testibus, vel tener-

¹⁾ Horn's Archiv 1811. Jul. u. Aug. S. 129.

¹⁾ Hecker's Kinderkrkht. S. 630.

²⁾ Burserii Institut. med. pract. L. II. p. 126.

³⁾ Sydenhami oper. Sect. IV. Cap. V.

rimis in infantibus salutarem effectum praestat. Porro, ubi aegrotulus corpore pronato vix inspirare potest, anxietas ad convulsiones adscendit, respiratio brevissima est; ubi timendum est, ne infans protinus suffocetur, ibi praesens auxilium in summo illo remedio est, neque tempus hirudinum vel cucurbitularum longa molestaque applicatione tendendum videtur. Quod ubi incidit, protinus sanguis e vena brachii vel in tenerrimis infantibus mitti debet solaque venaesectio salutem afferre potest. Fatendum tamen, ejusmodi casus rarissimos esse. Illustris Heimius a venaesectiōe ante secundam dentitionem, quam septimo vel octavo anno intrare constat, abstinendum suadet. Sed iis in casibus iisque in symptomatis, quae nunc memoravi, vena secetur maxime necesse est. Harles 1) contendit: venae sectiones adhiberi non posse in infantibus, qui nondum duos annos habent, quia vim vasorum et sensibilitatem maxime debilitent, concedit tamen, venae sectiones sine exceptione aetatis imperandas esse, si maximum

1) Harles Einige praktische Bemerkungen über innere Entzündungen bei Kindern. S. 46.

periculum, si congestiones sanguinis enormes, quae suffocationes, apoplexias inducere possint, adsint. In infantibus robustioribus, plethoricis, ultra septimum, octavum, nonum proVectis annum, si inflammatio in parte nobilissima est, aut ipsa metastatica, utpote quae rapidam sanguinis emissionem et vasorum collapsum celerrime inducendum exigit, non est, quod venaesecutionem anxii metuemus. Quin imo, si post sanguinis detractionem e vena inflammatio persistat, venae sectionem iterari oportet. Harles 1) duo exempla narrat, ubi duobus infantibus robustis, qui novem annos habebant et in pneumoniam inciderant per viginti quatuor horas bis venam secuerat, cum evidentissimo quidem effectu, ita ut pneumonia evanesceret et pueri sanitatem mox recuperarent.

Sed si periculum non nimium est, hirudines venae sectionibus anteponantur. In omnibus his casibus ubi inflammatio pulmonum adest, hirudines adhibendae sunt, quamquam Harles 2) contendit: primo aetatis anno, quo infans lactat, ra-

1) l. c. S. 46.

2) l. c. S. 45.

rissime tantum necessarias esse minimamque per eas sanguinis detractionem nocere, experientia tamen medicorum contrarium docet quum hirudines morbum initio profligare, ideoque maxime necessarias esse non semel observatum sit. Hirudinum usus, rite institutus, summum profecto praebet remedium. Numerum vero earum in pneumoniae infantum curatione ex morbi vehementia et aetate infantum reputandum esse, in confesso est. In infantibus, qui duos annos nondum explerunt, una hirudo in pectore posita sufficit. Sin autem venae sectione non indicata, major sanguinis copia brevi tempore detrahi debet, plures hirudines ponantur. Sanguis per aliquot tempus unam certe horam ex vulnusculis effluat oportet, quod vaporibus aquae tepidae vel superimposita spongia ex aqua tepida expressa consequi licet. In pueris duae aut tres hirudines in pectore ponantur, et sanguinem per duas horas ex puncturis effluere opus est. Caveatur tamen in omni hirudinum usu, ne infantes sanguinis profluvio subintrante absumantur, quare chirurgica ad auxilia saepe confugiamus oportet, si quid tale metuendum est. Ejusmodi exempla a clarissimis viris Hufelandio

et Heimio et Antonio White 1) allata sunt. Cautelas aliquas ad sanguinem supprimendum hoc loco describere non subervacuum esse mihi videtur. Quamquam sanguis sua sponte saepissime effluere desinit, tamen casus aliqui extant, quibus hirudo forte vasi paulo majori morsum inflixit. Primum remedium et optimum ad supprimendum sanguinem boletus igniarius est, qui vulneri imponatur; sin autem periculum urget, gummi arabici pulvis addi potest; tum spongia apprimatur necesse est. Autenriethius nuper linamenti aliquot filamenta contorquenda atque vulnusculis intormittenda suasit. Quae si omnia auxilium non ferunt, vulnus argento nitrico tangendum est, quo sanguis statim supprimitur. Whitius 2) urgente periculo, fractis infantis viribus et anima iamiam deficiente, si sanguinis profluvium citam minetur mortem acum subtilem subter vulnusculum transmitti praecipit, prope marginem infigendam, eodemque intervallo non nimis exiguo, scilicet ut

1) C. Graefe u. Ph. v. Walther Journal d. Chirurgie und Augenheilkunde. 1 B. p. 186.

2) l. c.

firmiter inhaerere possit, ab altera parte apice emittendam, deinde filum sat firmum intorqueri, sic ut undique vulnus constringatur, quo facto, dubium non est, quin sanguis statim coerceatur. Denique ceram utrinque agglutinandam suadet, ne acus elabatur. Sequenti die acus removetur. Affert etiam illius methodi inventor dolores haud admodum magnos esse, quia in hac operatione exiguam cutis partem perforare opus sit.

In pneumonia infantum indicationes ad emetica difficillimae sunt; quamquam ab aliis medicis maxime laudata sunt illa. Si morbus ex catarrho acuto, uti solet, ortus neque metastaticus est, et cum multa mucī secretionē et stertore conjunctus, sic ut in catarrhum suffocativum transire minetur, emetica primo quoque tempore et potius in refracta dosi saepius exhibita maximos effectus resolutione ac evacuatione exserere atque periculum mortis repentinae amovere possunt. Sin autem per metastases pulmonum inflammationes ortae sunt, cum tussi sicca, sine mucī secretionē, emeticum maximam cautionem exigit, eoque dato, morbus in gangraenam facile convertitur.

Perillustris Hufelandius contendit 1), quodque respirationis impedimentum in infantibus indicationem ad emeticum suppeditare. Pleuritidem, dolores pectoris, oppressiones thoracis imo suffocationes cum febre, solis se emeticis in infantibus saepissime sanasse, facileque emeticum ineunte morbo datum causam irritantem materiales eliminare, spasmum solvere, antequam stagnationes sanguinis aut inflammationes aut alia periculosa symptomata oriantur; imo ubi multa sputa adsint, nullum praeterea remedium existere ad mucum ex pulmonibus removendum aptius, quam vomitorium. Sed emeticum sanguinis emissionem nunquam supplere potest, et licet inflammationibus externis, ut erysipellate, rheumatismis acutis, inflammatione scroti et testiculorum saluberrimos praestet effectus, internis tamen in inflammationibus adhiberi non debet, minime in pneumonia 2), quia congestiones ad partem nobiliorem movet, ideoque inflammationem auget. Inde facile intelli-

1) Hufeland Bemerkungen über die Blattern, und verschiedene Kinderkrkhn. etc. S. 289.

2) Horn's Archiv 1810. Bd. III. S. 332.

gitur, emeticum tum indicatum esse, si medicus in primo stadio pneumoniae, aut in prodromis advocatus est, si inflammatio nondum exulta est, si in progressu morbi, post sanguinis emissionem aut per venae sectionem aut per hirudines nimia mucii secretio in pectore et inflammatio pulmonum iamiam fracta est. Sin autem inflammatio jam exulta est, et emeticum ante sanguinis de- tractionem datur, congestiones ad pulmones mo- ventur, et inflammatio ad summum augetur gradum. Infantibus, si emeticum indicatum est, linctum ex ipecacuanha, tartaro emetico, aqua fon- tana, oxymelite simplici cum aliquo syrupo dabi- mus. Si obstructions alvi adsunt, ante emeticum alvum ducere debemus, ad congestiones, quae ex hac causa ad caput et pulmones oriri possint, ca- vendas. In individuis maxime irritabilibus et de- bilibus hyperemesis facile nasci potest, tum ene- mata 1) maximum remedium sunt, aut si vehe- mens aut pertinax est, doses aliquae potionis Riveri, aut liquoris digestivi Boerhavii adhibendae sunt.

1) Hufeland Bemerkungen über d. Blatt. u. andere Kinderkrhthn. p. 295.

Necesse est, infanti per diem pluries solvatur alvus, quod medicamentis leniter irritantibus, resolventibus frigidis, salibus mediis, omninoque antiphlogisticis, quae dicuntur assequi licet. Maxime ad id praestant: Sal mirabil. Glaub: Sal polychr. Seignete: Kali aceticum: Nitrum rarius infantibus prodest, quia maxime debilitat. Si vero inflammationis vehementissimae causa nitrum adhibetur, caute et refracta dosi dari debet. Ex purgantibus vegetabilia leniter refrigerantia, manna et tamarindi eligenda sunt, quae cum aliis iamiam commemoratis recte conjunguntur. Omnia haec medicamenta post sanguinis emissionem statim adhibenda sunt. — Quibus propositis, ad maxima post sanguinis detractionem remedia in infantum inflammationibus praesertim in pneumonia infantum venio, nempe ad medicamina lymphatica, quorum mercurius maximeque calomelas facile primum tenet locum. Sed semper animo notandum est, mercurium dulcem quamvis saluberrimos effectus exserat, sanguinis tamen detractionem nullo modo supervacuam reddere posse, si infans inflammatione laborat. Indicatio omnium medicamentorum lymphaticorum maxime in aucta contractilitate et plasticitate systematis lymphatici et secernentis po-

nenda est. Ea igitur medicamenta eligenda sunt, quae in systemate lymphatico et secernente tam directa quam indirecta via auctam plasticitatem et contractilitatem resolvant, et quidem in iisdem medicamentis lymphaticis summum, ut commemoravi, mercurius dulcis locum tenet. Vim resolventem habet, sputa promovet, insuper ad medicamina derivantia pertinet, secretionem in tubo intestinali promovens. Effectum vero optimum in hoc viscus nobile exserit ubi repletio mucosa et proclivitas ad coagulationes lymphae adest, quum systematis lymphatici auctam actuositatem et resolvendo et derivando optime cohibeat. Etiam scire opus est, mercurium dulcem infantibus et pueris majoribus dosibus et per longius tempus exhiberi posse, quam adultis et salivationem tardius et difficilius in iis oriri. Hydrargyrum muriaticum mite in pulveris forma ad granum quadrantem, dimidium etiam ad granum unum pro dosi cum saccharo infanti datur. Attamen ubi in infantibus suspicio acoris aut cruditatis in ventriculo adest, medicamentum leniter laxans antiphlogisticum ante adhibere opus est, exempli causa terram foliatam tartari cum magnesia carbonica, postea mercurium dulcem cum ea-

dem magnesia dare. Abstinendum est ab usu calomelani, ubicunque diarrhoea aquosa quae vires consumit morbum comitatur. Si tamen mercurio uti volumus, unguentum neapolitanum ad unctiones adhibemus, quod ab infantibus majoribus in dosibus quam ab adultis, fertur.

Hydrargyrum muriaticum mite sal ammoniacum sequitur, quod et ipsum virtute antilymphatica praestat. Solvit et promovet sputa et materiae lymphaticae exsudationes, vel largam mucii secretionem impedit. Omnibus in casibus pneumoniae indicatum est, ubi mercurius dulcis non dari potest. Sal ammoniacum nullo modo mercurium dulcem supplere potest sed post eum primum locum obtinet. Optima forma, qua sal ammoniacum datur est, qua emulsionibus seminum papaveris vel amygdalarum dulcium excipitur adjecto extracto hyoscyami. Harles 1) ammoniacum, extracta saponacea praesertim extract. saponar. taraxac. fumar. mesembryanthem. et antimonialia, quae non califaciunt, praesertim tartarum stibia-

1) Harles praktische Bemerkungen über innere Entzündungen b. Kindern S. 51.

tum in dosibus minimis item radices senegae, arnicae et gummata resinosa magnis extulit laudibus. Sed Heimius 1) noster et Henkius 2) omnia haec medicamenta non satis tuta esse, contendunt. Nam si inferior inflammationis gradus sit, inflammationem iis medicamentis augeri asserunt, sic ut Heimius multum detrimenti illis allatum esse sibi persuasum habeat. Detractio sanguinis, calomelas, sal ammoniacum et alia medicamenta extrinsecus adhibenda de quibus disserendum est, summa sunt auxilia, quibus opitulari inflammatis infantum pulmonibus licet. — Radix senegae, arnicae, oamphora, ammonium carbonicum et asa foetida multaque alia ex incitantium volatilium antispasticorum et nervinorum classe ab aliis auctoribus (Schäfer et Harles) laudata sunt. Sed ubi haec medicamenta profuerunt, nulla inflammatio aderat, aut ubi adfuerit, vis ejus jam fracta erat. Morbo provento, si sputa formari incipiunt, sed nondum soluta, sulphur aurat. antimon. cum mercurio vel et sine eo, tum infusio radic. Seneg.

2) Horn's Archiv 1810. B. 3. S. 332.

3) Henke's Kinderkrhthn. S.

haud admodum valens cum vino antimon. Huxham. dari potest. In lactentibus syrup. seneg. cum oxymel. squillit. Si trachea muco repleta est, neque actuositas ad eum eliminandum sufficit emeticum porrigi potest. Si morbus protrahitur, si chronicus fit, tussis sine febre restat, medicamenta tonica, nutrientia, demulceentia ad sputa prolicienda, tum infusiones senegae, arnicae cum oxymelite syuillit. cum volatilibus aliquibus indicata sunt; inter hac medicamenta doses minores mercurii dulcis et sulphur. aurat. antimon. dandae sunt. Sed morbus nulla inflammatio nunc est, sed effectus inflammationis. Summa necessitate urgente, si debilitas augetur, periculum suffocationis adest, tum moschus, Tinct. ambrae, Tinct. digital. aether. cum minimis dosibus opii, quod in teneris infantibus maximam cautionem exigit, dari debet. Hoffmannus 1) in casibus ubi ex impedita expuitione et rhoncho continenti, rem ad desperationem venisse certum erat, florum benzoës Grana IV. cum camphorae Granis II. secunda quaque hora optimo cum successu dedit, saepissimeque auxilium tulit.

1) Hoffmann, Scharbock u. s. w. S. 296.

Curatio externa in pneumonia infantum, ut in omnibus infantum morbis inflammatoriis cum cura interna exacte conjungi debet, quamvis in sedem inflammationis indirecte tantum agere possit. Sed receptivitas incitamentorum externorum totam per cutem corporis nostri tanta est adeoque in illa processus resorptionis valet, ut ea ad imminutionem irritationis relaxando ac resolvendo maxime prosit. Praeprimis salutare sunt infrictiones repetitae linimenti volatilis cum laudano liquido conjuncti in pectore, unctiones ex oleo, balnea tepida fomentationes tepidae, cataplasmata et cetera. Praecipue ab Illustri Heimio 1) acetum vini tepidum, in quo pannus laneus pilosior tinctus est, qui pectori imponitur, quam calidissimum infans ferre potest, sic ut singula quaque hora novus adhibeatur, maxime post sanguinis detractionem laudatur. Harles autem refrigerii periculum inde afferri arbitratur. Sin autem hae fomentationes maxima cum cautione fiunt, sic ut semper calidae sint, nihil ejusmodi metuendum est. Clysmata ex aceto vini parum idonea

1) Horn's Archiv. 1810. Bd. III. S. 532.

esse, Heimius asserit, quum febrem et inflammationem inde augeri viderit. Clysmata vero ex oleo maximum effectum ex ejus sententia habent. Vesicatoria ad optima remedia in hoc morbo pertinent. Cavendum est, ne ante sanguinis detractionem adhibeantur, ubi inflammationem angent et tum nocent; sed post illam adbibita actuositatem vasorum auctam mirifice imminuunt, secretionem in cute serosam inducendo, quae exsudationes in pectore optime praecavere solet. Extremo loco sinapismos cum ceteris rubefacientibus. nomino, quae ut irritationem inflammatoriam deducere valeant, effectum tamen vesicatoriis multo inferiora sunt.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Ferdinandus Liman anno MDCCXCIII die VII m. Jun. Berolini natus sum. Gymnasii regii Joachimici discipulus, sexennii spatio ab infima classe ad supremam usque adscendi, quam per annum et sex menses frequentavi, deindeque examine rite superato, testimonio maturitatis munitus, universitatem litterariam iamiam petiturus, quum patria omnem juventutem ad arma vocaret, tribus cum fratribus arma cepi, atque per annum et sex menses stipendia merui.

Deinde anno MDCCCXIV pace composita civibus academicis hujus almae universitatis Rect.

Magnif. Rudolphi adscriptus, usque ad hoc tempus qua potui assiduitate medicinae studiis incubui.

A quo inde tempore his Virorum Celeb. lectionibus interfui:

Beati Solger de logice et dialectice, Cel. Fischer de physice, Ill. Hermbstaedt de chemia experimentalī, nec minus Cel. Link de botanice, de historia naturali deque pharmacologia, Cel. Lichtenstein de zoologia. Interim et litteris quae ad humanitatem pertinent operam dedi, maximeque Ill. Wolf interpretationibus librorum Ciceronis de officiis et natura deorum interfui. In osteologia autem et splanchnologia unaque in anatomia tam universa quam pathologica et organorum sensuum, entozoologia viris Ill. Knappe et Rudolphi praeceptoribus maxime colendis usus sum, qui et arte cadavera dissecandi in theatro anatomico me instituerunt. In physiologiam me introduxit Ill. Rudolphi, in semioticen Ill. Berends, in materiam medicam Cel. Osann. Deinde Ill. Chr. Guil. Hufeland institutiones medicinae practicae frequentavi, pathologiae autem et therapiae morborum tam acutorum quam chronicorum speciali ab eodem Viro et Illustr. Berends et Horn imbustus sum. Ophthalmiatricen ab Exp. Busse et Ill. Graefe ac-

cepi. Chirurgia generali, Akiurgia ab Ill. Graefe sum eruditus. Arte obstetricia tam theoretica quam practica Ill. de Siebold me instituit. In historia autem medicinae Cel. Link praeceptore egregio gavisus sum. Denique institutiones clinicas Virorum Illustr. Hufeland, Berends, Graefe, de Siebold et Horn frequentavi.

Tentamine et examine riguroso feliciter superatis spero fore, ut, dissertatione, thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores hodierno die in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Venaesectio teneris in infantibus urgente necessitate locum habere poest.

II. Variolae numquam extirpari possunt. —

III. Hydrophobiae causam esse inflammationem nego.
